

1569. serunt suis subditis eligendi sibi Confessarium, qui solvantur eos pecunia eodem absoluerat a Casibus ipsis Episcopis reservatis.

Abusus inde nonnulli proveniebant.

Alias etiam magis efficientias facultates concesserant.

Hujusmodi literas, & concessiones irritat.

Easque in posterum cedere prohibet.

fiæ Toletan. gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, & facultates a Sacris Canonibus sibi concessas excedentes literas suas in eorum Civitatibus, & Diocesisbus publicare præsumpserunt, quibus inter cetera pericula deprehenditur, quod cuicumque illas accipiendi certa soluta pecunia licitum sit, quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita ipsum absolvere valeat, non in eis tamen casibus, in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis quæ solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo præterea casu admixto, qui ad examen hujus Sanctæ Sedi esset omnino referendus.

§.2. Ad hæc ipsi in dispensandis Coelestis gratiæ donis nimium prodigi, iis sic literas prædictas accipientibus Indulgentias, & Pœnitentiarum iniunctarum remissiones nulla cum re temporali conferendas profusus passim, & indiscrete largiuntur, quibus, & aliis licentiis prædictis non pauci fluctuantes, & infirmi veniæ facilitate industi ad peccandum procliviores fiunt quando tot, & tantorum delictorum remissionem certo, & vilissimo pretio acquirere possint, & indicem præterea casuum ac Indulgentiarum ædibus Sacris appendi jufferunt quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus superscripta concedi.

§.3. Itemque missæ Sacrificium, & Sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium ut compatrium ad Sacrum Baptisma contra decretum Concilii Tridentini præter eos, qui Synodalibus, ut dicunt, Constitutionibus asciscuntur, a Simonie reatu absolutio nem Sedi Apostolicæ reservatam impendunt, reparationem Ecclesiarum, & pias causas prætexentes, ut honesta præscriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

§.4. Cum igitur inter cetera scandala etiam Simonie pravitas non obscure redoleat ex prædictis Sacri Tridentini Concilii decretis, & aliis Sanctionibus Canonicis, nostræ præterea Constitutioni, de Indulgentiis ad quæstum non emittendis, adversetur, clavium auctoritas evilescat, & Pœnitentialis satisfactio enervetur. Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris præcavendum fore censentes. Motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine supradicta omnia, quæ in ipso Archiepiscopatu Toletano, & quibuscumque aliis Civitatibus, Diocesisbus, & locis tam Hispaniarum, quam aliarum quarumcumque Provinciarum, & Regionum hujusque etiam prætextu Confraternitatum erigendarum, & quocumque alio emanarunt, damnamus, & execramur, ac perpetuo abolemus, nullaque, & irrita fuisse, & esse nunciamus, mandantes literas, & Judices.

§.5. Necnon scripturas, & monumenta quæcumque publica, & privata per ipsos locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Restores ubicumque reperientur dilacerari confringi penitusque deleri, & ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur, vel concedantur, districtius prohibemus.

Bull. Rom. Tom. IV. Par. III.

§.6. Quicumque, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, secus egerint, seu contenderint attentari, ab ingressu, & perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tandiu suspensi jaceant, donec satisfactione prævia illis per Sedem prædictam suspensio relaxetur: inferiores vero ab Episcopis sententiam Excommunicationis incurrant, a qua in mortis articulo constituti ab alio, quam Romano Pontifice absolutionis beneficium, nequeant obtinere.

§.7. Decernentes etiam irritum, & inane quidquid secus per quoscumque quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Volumus autem ut præsentium exempla etiam impressa Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici sigillo ob signata eandem illam prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum faciant, quam ipsemet præsentis facerent, si essent exhibitæ, vel ostensa.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno IV.

CX.

Judeorum expulsio ab omnibus locis domini S. R. E. ejusque subditorum, præterquam ab Urbe Roma, & Civitate Anconæ.

De materia Judeorum vide Const. IV. Paul. IV. Cum nimis. Tom. IV. Par. II. fol. 321.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Hebraeorum gens sola quondam a Domino electa, quæ divinis eloquiis infusa, Coelestium Mysteriorum particeps esset, quantum ceteris omnibus gratia, & dignitate excelluit, tantum postea incredulitatis sua merito, contempta, & neglecta in præceptis meruit deturbari, quod adventante temporis plenitudine perfida, & ingrata suum Redemptorem indigna morte peremptum impie reprobarit. Amisso namque Sacerdotio, legis auctoritate adempta, propriis deserta sedibus, quas tamquam lac, & mel fluentes, Clementissimus, & Benignissimus Deus jam inde a prima ipsius gentis origine illi preparaverat, terrarum Orbem tot jam sæculis pererrans, invisa, probris, contumeliosisque omnibus obiecta, foedas, & infames quasque artes, quibus famem tolerare possit, haud secus quam vilissima mancipia, cogitur atrestare. Sed Christiana pietas hunc ineluctabilem casum in primis commiserans, illam humanius factis apud se passa est diversari, ut scilicet crebro

1569. Contra inobedientes penas præscribit.

Si quid secus agi contigerit, invalidat.

Trasumptis credi juoet.

Clausula.

Dat. die 2 Januar. 1569. An. IV.

Causæ hujus Constitutionis.

bro illius intuitu passionis Dominica memoria fidelium oculis frequentius obversetur, simulque ea exemplis, doctrina, monitis, ad conversionem, & salutem, quae reliquiis Israel, Prophetae oraculo futura est, amplius invitetur, a qua, si Christianorum Sedibus explosa, ad eas gentes quae Christum non norunt diverteret, magis magisque aliena reddetur. Verumtamen illorum impietas pessimis omnibus artibus instructa, usque eo processit, ut jam pro communi nostrorum salute expediat, tanti morbi vim celeri remedio prohibere. Nam ut tam multa usurarum genera omittamus, quibus Hebraei egentium Christianorum substantiam usquequaque exinaniverunt, perspicuum satis putamus eos, furum, & latronum receptores, atque participes, qui quasque res ab iis subreptas, & interversas, non modo profanas, sed etiam divino cultui servientes, ne internoscantur, aut ad tempus suppressere, aut alio transferre, aut omnino transformare conantur: plerique etiam specie tractanda rei proprio exercitio convenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimis lenociniis praecipitant, quodque omnium perniciosissimum est, fortilegiis, incantationibus, magicisque superstitionibus, & maleficiis dediti, quamplurimos incautos atque infirmos Satanae praestigiis inducunt, qui credant eventura praenunciari, furta, thesauros, res abditas revelari, multaque praeterea cognosci posse, quorum ne investigandi quidem facultas ulli omnino mortalium est permessa. Postremo cognitum satis, & exploratum habemus, quam indigne Christi nomen haec perversa progenies ferat, quam infesta omnibus sit, qui hoc nomine censentur, quibus denique dolis illorum vitae insidietur. His, aliisque gravissimis rebus adducti, & augefcentia in quotidie ad Civitatum nostrarum perniciem scelerum gravitate permoti, cogitantes praeterea supradictam gentem praeter mediocres ex oriente commeatus nulli Reipublicae nostrae usui esse, nostris vero populis, qui praesertim a Nobis aliquanto remotiores sunt, conducibilis fore illius nomen, flagitia, miseriae aliunde ad se relatas audire, quam ullo caritatis stimulo eam in suo deinceps sinu ut antehac confovere.

Judaei omnes discendant de locis domini S.R.E. Roma & Ancona exceptis, infra tres menses a die publicationis.

§.1. Auctoritate praesentium precipimus, ut omnes, & singuli utriusque sexus Hebraei in omni ditione nostra temporali, & sub ea consistentium Civitatum, Terrarum, & locorum domicellorum, Baronum aliorumque dominorum temporalium, etiam merum, & mixtum imperium, ac vitae necisque potestatem, & quamcumque aliam jurisdictionem atque exemptionem habentium, de ipsis omnino finibus intratrum mensium spatium postquam praesentes litterae hic fuerint publicatae, omnino excedant.

Inobedientium poenae.

§.2. Quibus praeteritis quicumque, five incolae, five peregrini, five praesentes, five futuri, in quacumque dictae ditionis Civitate, Terra, vel loco, etiam Domicel-

lorum, Baronum, Dominorum, & aliorum exemptorum praedictorum, quandoque inventi fuerint, rebus omnibus spolientur, & Fisci juribus applicentur, mancipia Romanae Ecclesiae fiant, & in perpetuam servitutem afferantur, dictaque Ecclesia illud idem jus in eos, quod ceteri Domini in servos, & mancipia, sibi debeat vindicare. Urbe Roma, & Ancona dumtaxat exceptis, ubi eos solos Hebraeos, qui nunc eas habitant, ad praedictam memoriam amplius excitandam praesequendaeque cum orientalibus negotiationes, mutuosque commeatus, cum eisdem permitimus tolerandos; cum eo tamen, ut nostras, & Praedecessorum nostrorum, aliasque canonicas de eis Constitutiones studeant observare; sin minus, in poenas omnes quae dictis Constitutionibus continentur, quasque in hoc innovamus, eo ipso incidant. Futurum enim speramus, eos qui praesertim nostro, & hujus Sedis conspectui proximi sunt, noxae metu a maleficiis temperaturos, & interdum aliquos, uti antehac nostro quoque hortatu satis multis contigit, lumen veritatis cum gaudio agnuros. Sed neutri ad alteros, nec in alium dictae ditionis locum ullo tempore demigrent, nec proficiscantur, neque quempiam ex proscriptis ad se recipiant, si servitutis jugum, & supplicia voluerint evitare. Jubeamus igitur omnium Provinciarum, Civitatum, & locorum dictae ditionis Legatos, Gubernatores, Praesidentes, Praetores, & Magistratus, ac etiam locorum Ordinarios, necnon Domicellos, Barones, Dominos, & exemptos supradictos, ac quoscumque alios, ad quos id pertinet, ut quisque pro se, nulla alia a Nobis expectata jussione, aut mentis declaratione omnia praedicta quamprimum exequantur; & caveant diligenter, ulli posthac Hebraei ad ipsas Provincias, Civitates, & loca, etiam Domicellorum, Baronum, & aliorum praedictorum ex quacumque causa amplius accedant. Quicumque vero, etiam de iis, qui Romae, & Anconae nunc sunt, excursu trimestri proximo inventi in quacumque dictae ditionis parte; etiam quae domini temporaliter eorundem Domicellorum, Baronum, Dominorum, & exemptorum sit, statim Ecclesiae praedictae mancipati in servitutem perpetuam coniciantur; quorum etiam cervicibus graviores poenas impendere significamus, ut ceteri eorum exemplo discant, quanti fuerit hanc nostram prohibitionem temere neglexisse.

§.3. Non obstantibus praedictis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, legibus communibus & municipalibus Provinciarum, Civitatum, & locorum praedictorum, necnon Camerae Apostolicae juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, & conventionibus cum Hebraeorum praedictorum universitate, etiam sub fide publica, pactis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & litteris Apostolicis, illis omnibus, ac etiam praedictis

Barones, & Gubernatores & alii exequantur hanc Constitutionem

Clausula derogatoria.

dictis Domicellis, Baronibus, & Dominis, ipsorumque Civitatibus, terris, locis, & populis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias quomodocumque, & sub quibuscumque tenoribus & formis, & ex quibusvis causis etiam onerosis, ac cum restitutionibus, præservationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere & in specie quovisquem concessis, confirmatis, & sæpius iteratis vicibus innovatis. Quæ omnia & singula, etiam si de eis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus, pro expressis habentes, quatenus prædicta, impedire vel differre, aut alias illis obesse possent, harum serie de simili potestatis plenitudine, specialiter & expresse revocamus, & abolemus, viribusque & effectu prorsus carere, ac quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§.5. Volumus autem ut præsentium, exempla, etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscumque Curia Ecclesiasticæ, aut Prælati sigillo obfirmata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentis facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio penalis.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c.

D. P. An.IV. 26. Februarii.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto Kalen. Martii, Pontificatus nostri Anno IV.

CXI.

Quod in singulis Provinciis Fratrum Minorum Ord. S. Francisci de Observantia, duæ saltem domus assignentur Fratribus strictioris Observantiæ, a quibus absque Prælatorum licentia nullatenus ad alia loca se transferre possint.

PIUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Injunctum Nobis desuper Apostolicæ ferivitatis Officium crebro Nos admonet, & inducit, ut personis quibuscumque regularibus, vigilantia nostræ partes efficacius exhibentes eos in institutorum suorum regularium candore salubriter manuteneamus.

Iussio de qua in rubr.

§.1. Accepimus sane nuper, quod in Ordine S. Francisci de Observantia nonnulla sunt domus, & loca, recollecta nuncupata, in quibus dicti Ordinis Fratres arctioribus Bull. Rom. Tom.IV. Par.III.

rem quam in ceteris vitam degunt, & propterea eidem Ordini commodum, & opportunum esse censentes, ut in singulis dicti Ordinis Provinciis, duæ domus, & loca recollecta hujusmodi existant, auctoritate Apostolica teore præsentium perpetuo decernimus atque statuimus, quod in qualibet Provincia dicti Ordinis duæ ad minus domus, & loca recollecta esse debeant, Et præfata monasteria recollecta nullatenus ab hujusmodi recollectione separari possint: & Fratres in illis degentes, etiam si velint (nisi de Ministri Generalis ipsius Ordinis, vel Provincialis, & Discretorum Conventuum dictorum locorum recollectorum pro tempore existentium consilio) ad alia loca non recollecta transferri nequeant, nisi eisdem Superioribus, ut aliter fiat, visum fuerit expedire.

Clausula præservativa.

§.2. Decernentes præsentis literas nullo umquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut invalidari nullatenus posse, minisque sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sicque ab omnibus censeari.

Clausula sublata.

§.3. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari debere; irritum quoque, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§.4. Et nihilominus pro majori præmissorum occasione Venerabili Fratri Episcopo Conchen. & dilectis filiis causarum Curia Cam. Apost. Generali Auditori, ac Officiali Toletan. per præsentis committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentis literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant illas ab omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter observari, non permittentes aliquid contra præmissa quomodolibet innovari. Contradictores quolibet, & rebelles per easdem poenas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Clausula derogatoria.

§.5. Non obstantibus præmissis quibusvis Apostolicis necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides transcriptorum.

§.6. Ceterum quia difficile foret præsentis literas ad singula quæque loca, ubi expedien-